

РОССИЙСКАЯ АКАДЕМИЯ НАУК
ИНСТИТУТ ЛИНГВИСТИЧЕСКИХ ИССЛЕДОВАНИЙ
НАУЧНЫЙ СОВЕТ РАН ПО КЛАССИЧЕСКОЙ ФИЛОЛОГИИ,
СРАВНИТЕЛЬНОМУ ИЗУЧЕНИЮ ЯЗЫКОВ И ЛИТЕРАТУР

ИНДОЕВРОПЕЙСКОЕ ЯЗЫКОЗНАНИЕ И КЛАССИЧЕСКАЯ ФИЛОЛОГИЯ – XIII

Материалы чтений,
посвященных памяти
профессора Иосифа Моисеевича Тронского

22–24 июня 2009 г.



Санкт-Петербург
Наука
2009

B. Maslov, T. Nikitina

DE CONSTRUCTIONE GRAECA QVAE ‘PRAEGRANS’ APPELLATUR

Locuplentissime et eloquentissime de eo casuum usu, qui nobis curae est, disseruerunt Kuehner et Gerth (vol. I, p. 540–542). Non enim solum multa, ut solent, exempla disponunt, sed etiam brevitatem eius usus laudant (“malerische Kürze”) quam poeticae quasi licentiae, in Homeri poematibus frequentissime adhibitae sed etiam universae Graecorum orationi non alienae, attribuendam ducunt. Nam quandoque aut dativum casum pro accusativo cum verbis quae motionem significant (e.g. ὁ δ’ ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάας) aut accusativum pro dativo cum verbis stativis (e.g. ἐφάνη λῖς ἠϋγένειος εἰς ὁδόν) apud Graecos inveniant, ‘praegnantem’ appellat hanc constructionem. Quo nomine, quod ab aliis etiam viris mulieribusque doctis acceptum est, commode quamquam illi usus describuntur, quo modo eveniant non satis bene explanatur. Quattuor enim constructiones, quae hoc nomine complexae sunt, natura origineque discretas esse putamus.

Primum illa notanda verba, quorum propria vis, quamvis generatim stativa, accusativum motionis (allativum) vel suadeat vel postulet. In his verbis e. g. *παρεῖναι* numeramus, cuius significationem ‘pervenire’ apte proferunt LSJ (s.v. 5). Quamobrem *παρήσαν εἰς Σάρδεις* (Xen. Anab. 1.2.2, etc; cf. Hdt. 6.1), pace Kuehner et Gerth (vol. 1, p. 543) et Smyth (Greek Grammar, p. 368), haud potest haberi praegnantis constructionis exemplum: ad lexim enim, non syntaxim, hic usus pertinet. Nec aliter verbum *φαίνειν* spectandum, quod frequenter cum accusativo motionis adhibetur, primum quidem apud Homerum *ἐφάνη λῖς ἠϋγένειος εἰς ὁδόν* (Il. 15.275), sed etiam apud posteriores (Hdt. 4.14, Xen. Anab. 3.4.13). Minus certa verbi *ἰκέτευειν* tractatio in Il. 16.574 *ἐς Πηλῆϊ’ ἰκέτευσε καὶ ἐς Θέτιν ἀργυρόπεζαν*, quo loco pristinam huius verbi vim ‘come as a suppliant’ conservatam esse posuit Cunliffe, A Lexicon of the Homeric Dialect, p. 198 (pace Monro, Homeric Grammar, p. 190)¹.

¹ Huc conferendum Hesiodi Aspis 13 *ἐς Θήβας ἰκέτευσε*, qui tamen hac sententia Homerum imitari videtur (hoc ne ignoremus, in eisdem hexametri pedibus inveniri hanc sententiam ac *ἐς Πηλῆϊ’ ἰκέτευσε* in Il. 16.574).

Alterum casuum usum propriam oportet appellari praegnantem constructionem.

Intellegitur enim hoc usu motio tacite, plane autem non dicitur. Ex permultis exemplis haec pauca elegimus: ἐς Κυρῆνην ἐσώθησαν (Thuc. 1.110); (τοὺς παῖδας) ἔσφαζον ἐς τὸν κρατῆρα (Hdt. 3.11); ταῦτα ὑπ' αὐγᾶς μᾶλλον ἰδωμεν (Pl. Phaedr. 268); ἡρέθη πρεσβευτῆς εἰς Λακεδαίμονα (Xen. Hell. 2.2.17). Conferunt Kuehner et Gerth (vol. 1, p. 544) cum proxima sententia Germanicam 'er wurde zum Gesandten nach Sparta gewählt', nec difficile est ex aliis linguis comparanda etiam aptiora praeberi. Inest enim huic consuetudini motionem ex totius sententiae sensu exprimendi color aliquis conloquii. Hoc etiam addendum, saepius quidem apud scriptores oratione soluta usos eam inveniri, sed non apud Homerum minimeque apud alios poetas.

Hi quidem duo usus, de quibus supra diximus, accusativum casum ad verba stativa adiungunt; contrarie se haberi alios duo iam demonstrandum est.

Breviter tractamus de illa consuetudine dicendi, quae apud antiquos poetas non invenitur recentiorique eam ob rem Graecorum orationi attribuenda esse videtur: ταῖς λοιπαῖς ἐν τῇ γῆ καταπεφευγίαις (sc. ναυσίν) (Thuc. 4.14); οἱ ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρες διαβεβηκότες (Thuc. 7.71); τὸν σοφιστὴν ἔφαμεν ἐν τούτῳ που τῷ τόπῳ καταπεφευγῆναι (Pl. Soph. 360); οἱ δ' ἐν τῷ Ἡραίῳ καταπεφευγότες (Xen. Hell. 4.5.5). Haud dubium est idcirco dativum loci ad haec verba adiungi posse, quod infinitiva verba participiaque praeteriti perfecti vel plusquamperfecti temporis, quae sola in hoc usu admissa sunt, stativas res denotant.

Postremo illae constructioni, quae frequentissima apud Homerum invenitur, operam demus. Id satis scimus, verba τίθεναι, ἰστάναι, βάλλειν, πίπτειν ac pauca similia interdum cum ἐν et dativo casu Graecos iunxisse². Illud tamen apparet omnino ignoratum esse,

² Cf.: "L'on sait qu'en grec des verbes comme τίθημι 'placer', ἰστημι 'installer', καθίζω 'faire asseoir', βάλλω 'jeter', πίπτω 'tomber', θρώσκω 'sauter', βαίνω 'mettre le pied sur', qui désignent un mouvement plutôt vertical qu'horizontal, admettent comme complément local tant des expressions locatives que des expressions allatives, selon qu'il s'agit de mettre en évidence la position finale ou bien le mouvement." (Cornelis J. Ruijgh. La préposition ἐπί. Valeurs sémantiques et choix des cas. In: B. Jacquinod (ed.). Cas et prépositions en Grec Ancien: Contraintes syntaxiques et interprétations sémantiques, 1994, p. 136).

saepius hunc usum apud Homerum inveniri quam apud recentiores auctores. Hoc duobus tabellis, ad verborum βάλλειν et πίπτειν usum pertinentibus, inlustretur. Quo clarius usus commutatio perspiciatur, sex corpora distinximus: (i) Iliadem, (ii) Odysseam, (iii) lyricorum quod superest, (iv) tragoedias Atticas, (v) Aristophanis (vi) ac historicorum scriptorum opera. Earum solum numerum sententiarum indicavimus, quibus motio vera describitur; eas autem in quibus βάλλειν ‘ferire’ aut πίπτειν ‘interfici’ denotant atque eiusdem in uno corpore sententiae iterationes exclusimus³:

I. (έμ-, ές-) βάλλειν

		Il.	Od.	Lyr.	Trag.	Aristoph.	Hdt., Thuc., Xen.
έν	sum.	12 (17)	11 (18)	6	5	0	0
	έμ-	0	1	0	0	0	0
	ές-	0	0	0	0	0	0
εις	sum.	1 (3)	5	4 (5)	15	9 (15)	21 (24)
	έμ-	0	0	0	3	9	9
	ές-	0	0	1	1	1	11

II. (έμ-, ές-) πίπτειν

		Il.	Od.	Lyr.	Trag.	Aristoph.	Hdt., Thuc., Xen.
έν	sum.	9 (26)	2	9	8	0	1
	έμ-	1	0	0	0	0	1
	ές-	0	0	0	0	0	0
εις	sum.	0	0	4 (6)	17 (18)	5	16 (19)
	έμ-	0	0	1	1	0	7
	ές-	0	0	0	0	0	7

Haud igitur rectum ducere, sine discrimine dativo et accusativo in loco denotando Graecos uti ante quartum saeculum ante Christum natum (pace S. Skopeteas⁴). Hoc potius dicamus, locativum quidem casum, qui a Graeco dativo continuatur, inprimis eo etiam adhibitum fuisse, quo postea accusativus casus usus est. Quam ob rem cum paucioribus verbis tempore procedente haec constructio, quam praegnantem ideo appellare nolimus, Graecis accepta fuit, quod hac tabella explanatur:

³ In parenthesis vero totorum numerus exemplorum indicatur.

⁴ Encoding spatial relations: language typology and diachronic change in Greek. STUF 61 (2008), p. 54-66.

III. Verba quae cum *ἐν* et dativo casu iungi possunt

	Hom.	Lyr.	Trag.	Hist.
<i>βαίνειν</i>	+	-	-	-
<i>θρώσκειν</i>	+	-	-	-
<i>ἐλαύνειν</i> (trans.)	+	+	-	-
<i>βάλλειν</i>	+	+	+	-
<i>πίπτειν</i>	+	+	+	-
<i>τιθέναι, ἰστάναι, καθιστάναι, ἰδρύνειν, ἰδρύνεσθαι</i>	+	+	+	+

Similiter contractus est locativus casus in lingua Paleoslavica et Paleorossica, quapropter pauca solum verba nunc cum praepositione *ν* et locativo iuncta inveniuntur⁵:

IV. Slavica verba quae cum *ν* et locativo iungi possunt:

	Paleoslav.	Paleoross.	Nov. Ross.
<i>iziti, v"ziti</i>	+	-	-
<i>priiti, priêzditi</i>	+	+	-
<i>v"z"nesti, v"nesti</i>	+	+	-
<i>mêtati</i>		+	-
<i>padati, pasti</i>	+	+	(+)
<i>polagati, položiti; postaviti, posaditi</i>	+	+	+

⁵ De hoc usu in Paleoslavica Paleorossicaque lingua vide: V. N. Toporov, *Lokativ v slavjanskix jazykax*, 1961 et D. S. Stanisheva, *Vinitel'nyj padež v vostočnoslavjanskix jazykax*, 1966.